Animadversiones quaedam circa F. Arnold Lich. Fragm. XIV.

Scripsit W. Nylander.

Hic occupamur solum Fragmenti XIV parte secunda, quae datur in Flora hujus anni paginis 72—78 [1]), ubi varia obveniunt examine attentiore digna aut corrigenda, sicut e sequentibus elucebit.

Primo animadvertimus nomen *Imbr. diffusa* (Web.) p. 72. Sumitur evidenter sensu erroneo et frequenter adhibito pro *Parmeliopsi ambigua* (Ach.), cui thallus stramineus vel „subvirescens", ut dicit Acharius, qui primus, lapsu singulari, eo ducit tamquam synonymon *Lichenem diffusum* Web. Spicil. Fl. Gotting. p. 250 (anni 1778). Licheni vero Gottingensi ibi describitur in diagnosi color thalli „constanter ex glauco albescens" et in descriptione additur „color superne etiam in madida planta ex glauco albescens", Minime igitur est *P. ambigua* (Ach.), sed pertinet nomen Weberi, similiter atque idem Dicksonii (Pl. Cr. Br. III, p. 17, t. 9, f. 6), ad *Platysma diffusum* (Web.) [2]), quod specie non distingui potest a *Parmelia placorodia* Ach., tamquam jam determinavi in Lich. Scand. p. 106. Accepi quidem a cl. Tuckerman specimina inscripta „*Parmelia placorodia* Ach., Tuck. Exs. no. 71, saepincola (lichen Acharii) et arboricola", quorum alia typum Acharianum referunt, alia sistunt varietatem vel subspeciem *stenotomum* (quale simile etiam in Gallia occidentali obvenit) vel transitum in idem vel in *diffusum*, quod forsan ut subspeciem considerare liceat. Differt enim haud aliter primarium *placorodium* (saepincola et corticola) americanum, quam thallo non isidiello; in *stenotomo* thallus tenuior, magis divisus, isidio tenui inspersus.

1) De prima parte notetur, modo obiter, *R. caesiellam* Krb., Arn. p. 37, esse *Lecanoram confragosam* Fr. L. S. no. 283. Forma *firma* Nyl. est eadem vegetior, thallo crassiore. — Diversa species est *L. atrocinerea* (Dicks.) Leight. et omnino mea *atrocinerea* L. Par. no. 43 (1854), nec nomen Dicksonii pertinet ad *confragosam*, ut vult cl. Arnold.

2) Primo spermogonia, facile fere sola vera quae auctor invenerit, indicantur in Th. Fr. Lich. Scand. p. 110. Sunt quidem in *Pl. diffuso* magna facillima visu (nigra, ut in congeneribus, et protuberantia, sphinctrinoideo-globosa, latit. 0,15 millimetri), sed in parcis lichenis speciminibus a me antea visis non obvia; serius autem in herbario ditissimo divi Lenormand specimina spermogoniis munita examinare contigit. Sic etiam in *Platysmate glauco* spermogonia facillime conspiciuntur ubi adsunt, sed raro persistunt in speciminibus herbariorum ob situm in illo genere marginalem, protrusum, in marginibus summis fragilibus. Omnino vero spermogonia frequentiora sunt quam apothecia. Constat auctorem Upsaliensem de spermogoniis declaravisse „nec magni ea duximus" (Gen. Heterol. p. 36), tamen casu ea inveniens apud *Lichenem diffusum* Web., mox non nescit hunc esse *Platysma*.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03639-0249-4

„*Imbr. hypercpta* (Ach.)". Observetur, hoc nomen ab Achario non inveniri propositum antequam in Synopsi h. e. quando auctor fere sexaginta annorum fuit natus, et respicere lichenem thallo „albissimo". Contra nomen *aleurites* Ach. evidenter sensum habet apud Acharium pro maxima parte et apud optimos Lichenographos scandinavicos, qualem in Lich. Scand. p. 105 determinavi. Citat ceteroquin Acharius, ut synonymon suae *aleuritidi* Wahlenbergii Lapp. p. 423 (quod libenter omittitur in Th. Fr. Lich. Scand. p. 120), et dicit in Meth. thallum „albo-cinerascentem". Si nomen *aleurites* sensu Lichenologorum ut Wahlenberg et Sommerfelt, amicorum Acharii, de lichene superiore, majusculo, vulgari et ab iis quotidie viso, rejiceretur, inde simul sequeretur, illum lichenem Achario omnino ignotum fuisse atque solummodo in fine vitae sibi cognitum ex Helvetia, quum abundantem per totam vitam conspexisset in sua patria. Quod esset absurdum! Accedit, lichenem helveticum *(hyperoptam* Ach.*)* sistere formam diversam thallo albo (ita ut comparetur *Parm. laevigata* in Syn. p. 208). Nulla igitur adest ratio, cur sensus nominis alius praevaleat, nec ulla, cur *aleurites* attribuatur *diffuso* Web. prioritate gaudente. Addatur denique, herbarium Acharii minoris esse momenti, praesertim ubi de Lichenibus majoribus agitur, nam est valde contractum et specimina parcissima continet (saepe modo 1 vel rarius 2 vel 3 speciminula cujusvis rei atque eadem haud raro incerta vel forsan manu aliena addita, nec omnia citanda); fontes optimi eo respectu offerunt specimina ab Achario ipso in libris suis citata.

Lecanora symmicta var. *pumilionis* Arn. Species, ni fallor, sit e stirpe *Lecideae vernalis,* tum dicenda *L. pumilionis.*

L. expallens f. *straminea* (Stenh.). Haec est *L. orosthea* var. *sublivescens* Nyl. Thallo nulla reactio Ca Cl. Etiam Arn. Exs. 352 huc pertinet pro parte; sed ibi admixta saepe observatur (in eodem cortice) *L. expallens* var. *lutescens* DC. (*L. orosthea* Ohl. Zusammenst. p. 23) [1]).

L. varia var. *alpina* Anz. Langob. 376 est propria species e stirpe *Lecanorae umbrinae.* Spermatia acicularia arcuata, longit. 0,011—14, crassit. 0,0005 millim. Dicatur *L. mughicola.*

---

1) *L. expallenti* subjungenda varietas ***smaragdocarpa***, concinna, apotheciis laete smaragdino-virentibus lecta ad lignum quercinum prope La Mothe St. Héray in Gallia occidentali a cl. J. Richard.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03639-0250-5

L. symmicta Arn., ex citatis, continet: 1) *L. symmictam* (Ach.) Fr. L. S. 45, Mudd et Leight. pro p., cum varietatibus *saepincola* (Ach.) et *aitema* (Ach.), atque 2) *L. symmicteram* Nyl. (huc Hepp Flecht. 68), quae fere varietas biatorina *L. conizaeae* [1]). In *L. symmicta* thallus Ca Cl nonnihil aurantiaco-tinctus; in *L. symmictera* (quae frequens praesertim ad corticem abietis in Scandinavia) nulla talis reactio.

L. sarcopis Whlnb. Hic observetur, ex Anglia citatam, saltem ex specimine Muddiano sistere *L. effusam* (Pers.) Ach., quae minime similis est *sarcopi* Whlnb., at esse possit ejus varietas thallo macriore et alio.

„*L. atrocinerea*" Schaer. L. H. 619 est *Lecanora hypoptoides* Nyl. in Flora 1867, p. 371 (potius Lecanora quam Lecidea, etiamsi apothecia faciei biatorinae). Est quoque *Lecan. aitema* var. *denigrata* Arn. coll. Frank. Jura no. 674 (ad corticem pini); nec differt, nisi sicut varietas, n. 443 ejusdem collectionis (nomine *L. varia β sarcopis* in Flora 1858, p. 315). *L. hypoptoidem* sub nomine „*Lecidea hypopta*" Turnero missam ab Achario vidi (in hb. Kewensi), sed nequaquam est vera *L. hypopta* [2]) descripta in Ach. Meth. p. 61 et quae in Fr. L. E. reform. p. 275 ad *L. uliginosam* pessime relata conspicitur.

„*L. apochroea*". In Anzi Langob. no. 512 spermatia acicularia rectiuscula vel levissime arcuata, longit. 0,006—7, crassit. 0,0005 millim. Sporae parvulae, longit. 0,006—8, crassit. 0,003—4 millim. Est omnino *Lecanora subintricata* Nyl. et haec eadem est „*atrocinerea*" Hepp Flecht. 192. Huc pertinet simul Th. Fr. Lich. Scand. p. 265 pro p., nam minime convenit character in diagnosi datus: „spermatia oblonga vel ellipsoideo-oblonga". Forsitan auctor Upsaliensis talia modo semel viderit? Contra in speciminibus numerosis scandinavicis, sicut etiam in

---

1) In herbario vestuto germanico bene determinato hanc vidi nomine: *maculiformis* Hffm.

2) Eadem pura est *L. subfusca* var. *biatorea* Nyl. Lich. Scand. p. 161, nam Lichen ab Achario descriptus „in palis aqua subimmersis" Sueciae (Swartz), crusta spuria „tenuissima subrugulosa" conspurcatur, nihil lichenosi habente. In Th. Fr. Lich. Scand. p. 265 „*L. effusae γ hypoptae*", quae varia continet, spermogonia dicuntur „rarissima" (!), „spermatia curvula utrinque obtusa, 0,009—12 mm. longa, 0,003 mm. crassa"! Quod potissime delendum erat, neque aliter quod „celare non vult" scriptor Upsaliensis, se „semel invenisse spermatia gracillima acicularia flexuosa" in *L. sarcopi*, nam inexperientiam nimiam ostendit, praesertim ubi de lichene copiose obvio agitur. Atque nulla spermatia flexuosa obveniunt, saltem in ullo lichene cognito.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03639-0251-1

Anzi et Heppii, semper spermatia tenuiter acicularia, obsolete arcuata, facile conspicere licet.

„*L. saepincola*" Zw. Exs. 116 et Anzi L. m. rar. Est *L. metaboloides* Nyl. Etiam ad corticem pini in Franconia. Nihil habet conveniens cum *L. symmicta* var. *saepincola* (Ach.).

„*L. Hageni*" Arn. [1]), nomen vagum, ut plurima. Observandum est, huc duci, ex. gr., Moug. St. Vog. 1053, at ibi (saltem in exemplari Musei Parisiensis) 3 dantur specimina, quorum 2 pertinent ad *L. Hageni* (Ach. pro p.) et 1 ad *L. umbrinam* (Ehrh.) distinguendam (etiam spermatiis longioribus). Quoque Anzi L. m. rar. 180 et 181 huc ducti duas species distinctas exhibent, scilicet 181 ipsam *L. Hageni* (Ach. pro p.) nostro sensu et 180 *L. Bormiensem* Nyl. (haec spermatiis longit. 0,018—23 millim., crassit. 0,0005 millim.). Similiter *L. crenulata* (Dicks.) distinguenda sit a *L. umbrina*. *L. prosechoides* Nyl. spermatia habet longit. 0,022—32 millim.; eadem est „*Parmelia subfusca lainea*" Fr. L. S. 371 (in Th. Fr. l. c. p. 241 sub *coilocarpa* Ach. confusa; thallo K—, nec „dilute lutescente"). Ad eandem stirpem referenda est *L. distans* Ach. *(Patellaria populicola* DC.*)*, cui quoque thallus K—, omninoque separanda a *L. subfusca* [2]).

L. varia var. *sarcopis* Schaer. L. H. Est *L. subravida* Nyl. in litt. jam olim (ex. gr. Domino Malbranche) dicta e stirpe *L. um-*

---

1) *Lichen coerulescens* Hag. Hist. Lich. p. LIX res est adhuc valde dubia: „excepto colore, perquam similis *tartareo* — disco, qui praesertim humectatus statim niger evadit". Quomodo hocce congruit cum *L. Hageni* (Ach. pro p.) et *L. umbrina* (Ehrh.)? At *L. tartareus* Hag. revera sit *Lecan. galactina* Ach.

2) Facile in varietatibus sub *L. subfusca* Auctorum conjunctis plurimae species rite distinctae demonstrantur, sicut alibi exponam. Memoretur solum, eas offerre: 1° species spermogoniis supra nigris, alias spermatiis elongatis, alias spermatiis brevioribus; 2° species spermogoniis supra pallidis. Sunt ita species huc pertinentes disjungendae primariae: *L. allophana* (Ach.) *mesophana* Nyl., *intumescens* Reb., *atrynea* (Ach.), *rugosa* (Pers.), *poliophaeoides* Nyl. (gallica), *spodophaeoides* Nyl. (scotica), *epibrya* Ach., *subfusca* (huc a. *argentata* Ach., *glabrata* Ach., var. *expansa* Ach. data in Mand. Mader. no. 53, *gangalea* Ach.), *angulosa* Ach. (epithecium Ca Cl flavens), *caesiorubella* Ach., *rubella* Anzi, *albella* (Pers.), *scrupulosa* Ach., *chlorona* Ach. etc. Nec discernuntur solae differentiae constantes longitudinis spermatiorum, sed etiam si plus minusve sunt arcuata; spermatia autem flexuosa, qualia indicantur in Th. Fr. l. c. p. 241, nullibi occurunt. Ceteris characteribus simul accedentibus hic sicut alibi species concipiuntur, neque tales distinctiones opinionibus et arbitrio determinantur, sed differentiis veris accurate demonstratis. Neque scientiae dignum est Friesianum illud (l. c. p. 244): „formae ita possunt distribui", at quaerendum, quomodo hoc debent.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03639-0252-7

brinae. De hac *subravida* nimis benevole affert cl. Arnold: „Th. Fries Arct. p. 110 hat mit Recht bemerkt, dass Schaer. 544 nicht *L. sarcopis* Wbg. sei". In Th. Fr. l. c. vero (ubi nihil exstat mit Recht bemerkt) legitur: „Schaer. exs. n. 544 potius ad ♂ referri debet" h. e. ad *apochroeam* Ach., quae nonnisi thallo evanescente differt, ut varietas, ab ipsa *L. sarcopi* Wahlenbergiana. Igitur, ex sententia Friesiana, Schaer. L. H. 544 subsumeretur sub *sarcopi*, quod omnino est erroneum et male observatum. Vidi *L. subravidam* e Bavaria, Helvetia et Sabaudia.

Addatur hac occasione, in stirpibus *Lecanorae variae, sarcopis* et *umbrinae* adhuc nonnullas alias species separandas esse.

L. polytropa (Ehrh.) Schaer. propria est species, nam characteres peculiares ostendit, etiam ubi super ligna et cortices viget. Ab ea vero distant *L. stenotropa* Nyl., differens praesertim sporis tenuioribus (minus crassis), haud rara in Scandinavia, et *L. coccotropa* Nyl., thallo granuloso (in Lapponia lecta a cl. Norrlin). *L. intricata* (Schrad.) subspecies sit *L. polytropae*, vulgo thallum habens hypothallo nigro circumductum; occurrit etiam apotheciis sublecideinis, et tum accedit ad *L. viridiatram* Stenh., quae alia videtur subspecies *L. polytropae*.

L. Cupressi Tuck., americana, differt a *L. varia* colore thalli in citrinum vergente et sporis minoribus oblongisque (longit. 0,009—12, crassit. 0,004—5 millim.).

L. sarcopis * *homopis* differt a typo gelatina hymeniali iodo coerulescente deindeque vinose rubente [1]). *L. subdola* Nyl. differt ab hac praesertim apotheciis biatorinis (in Lapponia lecta a Norrlin).

L. variana Nyl. est nova species e Finlandia (Norrlin), quasi inter *L. variam* et *Lecideam Cadubriae* intercedens. *L. livescens* Nyl., n. sp., quoque ibi lecta a Norrlin.

L. subventosa (Nyl. Enumér. Lich. p. 114, sub *L. frustulosa*) est *L. sarcopis* f. *saxicola* Nyl. olim., revera affinis *L. argopholi*. Spermatia arcuata, longit. 0,020 millim., crassit. 0,0005 millim.

L. ochromma Nyl. (*L. ochrostoma* Kphb. Lich. Bay. p. 153 pro p.), differt jam a *L. piniperda* sporis majoribus. Contra *ochrostoma* Hepp Flecht. 387, dicenda *ochrostomoides*, varietas sit *piniperdae*, quae late distributa etiamque in Scandinavia obvia.

Lecan. varia var. *Bouteillei* (Desmaz.) Schaer. Enum. p. 83 est *Lecidea*, sicut indicavi in Lich. Lapp. or. p. 152 et quidem valde affinis *Lecideae rubicolae* (B. Hohenbühelii Poetsch) et *cyr-*

1) Huc pertinet Fr. L. S. 46 (nomine „*L. varia*"), quoad specimen inferum.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03639-0253-3

tellae Ach., quam in Th. Fr. Lich. Scand. p. 294 videmus dispositam prope *Lecan. athroocarpam*. Inexperientiae solitae exemplum exhibet auctor, spermogoniorum ignarus etiam lichenis vulgaris *(Lecideae cyrtellae)*, ubi talia non in scriptis meis indicata invenit (nam tunc rem mox cognitam habet). Atque imperitissime *Lecanora erysibe* (Ach.) definitur (ibid. p. 295) „forma saxicola — nullo pacto differens" a *Lecidea cyrtella*, quum contra et thallus et apothecia et spermogonia omnino differunt!

Gelehrte Gesellschaften.

In der Sitzung der k. k. geologischen Reichsanstalt in Wien im v. März legte Bergrath D. Stur eine im Kohlenstock von Tregist (Steiermark) aufgefundene *Carya*-Nuss vor, in der Form der *C. pusilla* Ung. und von der Grösse der *C. ventricosa* Ung. Sie ist unregelmässig runzlig und das Dissepiment ist kaum merklich erhoben.

Carya Andriani Stur. Putamine suborbiculari, compresso, irregulariter rugoso, dissepimento vix prominente.

In derselben Sitzung sprach Bergrath G. Stache über die Verbreitung der *Characeen* in den Cosinaschichten Istriens und Dalmatiens, von welchen sich etwa zehn Arten vorfinden, deren ein Theil zur Gruppe der *Charen* mit glatten Aussenflächen der Spiralzellen der Fruchttheile gehört und der *Chara medicaginula* am nächsten steht, und ein Theil mit durch Körnchen oder Leistchen verzierter Aussenfläche den fossilen Arten *Ch. tuberculata* Lyell und *Ch. greppini* Heer sich nähernd. In beiden Gruppen, so der *Characeae levigatae*, wie der *Characeae ornatae* kommen Formen vor mit convexer Aussenwand der fünf Spiralzellen und eingetiefter spiraler Naht oder Saumlinie und wieder andere mit concaver Aussenwand der Spiralzellen und leistenförmig erhaben umlaufender Nahtlinie.

Chara Stacheana und eine dieser sehr ähnliche aber von der Seite nur 5—6 Umgänge zeigende Form, zeichnet sich durch ihr massenhaftes Auftreten aus. Diese, sowie *Ch. medicaginula* und *Ch. Stacheana* gehören wahrscheinlich zur Gattung *Nitella* von deren Sporangien die der fossilen Arten durch bedeutendere Grösse abweichen — überhaupt scheinen die *Characeen* der Tertiärzeit weit grössere Sporangien zu haben, als die der Jetztzeit.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03639-0254-9

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1872

Band/Volume: 55

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: Animadversiones quaedam circa F. Arnold Lich. Fragm 247-252